J. J. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE EPILEPSIA

qvam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA

Nec non

CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS, ACADEMICI,

Et

FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

ſub PRÆSIDIO

DN. GEORGII FRIDERICI FRANCI de FRANKENAU,

Med. D. ac Profeſſ. Publ. Regii nec non Coll. Conſiſtor. Aſſeſſor. & Fac. Med. DECANI,

Pro GRADU DOCTORIS

Summisque in Arte Medica honoribus & privilegiis ritè conſeqvendis

Publicæ ventilationi ſubmittit

DANIEL HENRICUS PASCHKEN,


Regiomont: Boruſſus

Locô horisq; ſolitis

Ao. MDCCXXIV. d. 25. Januarii


HAFNIÆ,

Typis Joh. Georg. Höpffneri, Univ. Typogr.



Imprimatur.

G. F. F. de Frankenau.



VIRO

PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atque DILECTISSIMO

DOMINO HENRICO PASCHKEN,

Consiliario Civitatis Regiæ Cniphofianæ meritissimo,

Parenti omni filiali amore æternum proseqvendo

ut et

VIRIS

PLURIMUM REVERENDIS, PRÆCLARISSIMIS PRUDENTISSIMIS,

DOMINO

Mag. JOHANNI LUDOVICO COLBIO

Ecclesiæ Allenburgensis Pastori meritissimo,
Nec non ibidem
Inspectori Scholæ Vigilantissimo.

AFFINI ac FAUTORI Suo summopere DEVENERANDO,

DOMINO

CHRISTOPHORO HENRICO WEGNERO,

Ecclesiæ Lithuanicæ nec non Germanicæ PASTORI Fidelissimo;
Avunculo ac Fautori suo amantissimo,

DOMINO

Mag: JOHANNI FRIDERICO BREHMER

Gymnasii Elisabethani Vratislaviensis Collegæ dignissimo,
PATRONO, Fautori, Parentis adinstar, mihi debito amoris affectu colendo,

Dominis, Parenti, PATRONIS, Fautoribus suis maximis, plurimumqve Colendis dissertationem hanc in grati animi ac debitæ observantiæ signum cum voto omnigenæ prosperitatis ac intemeratæ, salutis.

offert & consecrat

DANIEL HENRICUS PASCHKEN.



PROOEMIUM.

Aríos inter morbos Spasmodicos, qvi mirum in modum corpus noſtrum infeſtare ſolent atq́; excruciare, miſerandus imô terribilis planè eſt affectus, EPILEPSIA communiter dictus, nulli parcens ſexui nec ætati, & qvi ſæpius tam diris ſe prodit ſymptomatibus, ut neq; verbîs ſatis exprimi valeat ejusdem gravitas, ipſisq; ſenſibus ſpectaculum exhibeat triſtisſimum: hâc etenim labe correpti incertô vagantur lumine, & inſtar trunci ſubitò proſternuntur humi, jacent altô ſopore ſepulti, calor deficit, nervorumq; ſumma adeſt trepidatio, ſpuma ante os verſatur, memoria labitur, caput titubat, atqve omnia membra cœco qvaſi qvaſſantur impetu mireqve concutiuntur, adeò ut effatô Summi Viri, *Hippocratis* noſtri ȣ̓δὲν ἔοικεν ἑτέρῃσι νȣ́σοισι, reliqvis morbis nullâ re ſit ſimilis. Videtur namq; hic bellum inteſtinum, nullaq; adeſt vis externa, contorqventur membra, variîs motibûs agitatur corpus, malum interiora occupat, machina ipſa corporis noſtri vim patitur, dum laxis habenis efferuntur omnia, ceſſat rationis imperium, ipſumq; adeò corpus internô ſuo cruciatur carnifice. Notisſimum eſt omnibus, qvi ſcripta verſârunt doctiſſimi atq; expertiſſimi *Viri Job, Cratonis à Kraftheim*, trium Imperato-

rum Medici qvondam dignissimi, votum, qvô peroptavit, ut sibi ante vitæ suæ exitum intimius hujus morbi cognoscere liceret genium; proin nobis, ceu tironibus, nemo vitio vertèt ulteriorem instituere conantibus disqvisitionem specimine hôc inaugurali de perqvam gravi isthoc corporis affectu, si rem non semper acu, ut est in proverbio, tetigerimus, atq; indolem morbi penitus exhauserimus humanitatis nostræ probè memores. Faxit interea Numen benignissimum, ut labor iste cedat faustissimè, cœptisqve nostris clementer annuat.

§. 1. Si ullo alio in morbo, certè in hoc multa circa nominis evolutionem occurrunt notanda, sive etymologiam spectes, sive synonymiam ejus; Etenim EPILESIA origine vox est Græca, & apud *Hippocratem 2 aph. 45 & 3 aph. 29.* tum alibi sæpius invenitur, & dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι qvod Lexicographis significat prehendere, invadere, eo qvòd plerumq; subitò ac qvasi ex insidiis hominem nihil tale cogitantem, aut sibi metuentem apprehendat; nec tantùm aliqvâ sui parte, ast secundum omnes primarias ipsius functiones hominem prehendat & corripiat. *Hippocrat. libr. de äere, aqvis & locis* appellat παιδίων πάθος *puerorum morbum*, qvia tenera ipsorum ætas huic calamitati inprimis est obnoxia. Porrò *morbus sacer audit*, eò qvòd crederent illum divinitus locô pœnæ hominibus immitti, vel qvòd afficiat partem, qvæ verè sacra & mentis sacrariũ est, dignissimam, cerebrum nimirum; Item *Herculeus*; qvòd Hercules eô correptus in ipsa sævitia filios interfecerit, dicitur, tum à morbi magnitudine & sævitiæ impetu. A Latinis autem vocatur *caducus*, à casu in terram, it: *comitialis*, *à Seneca*

viti-

vitium comitiale *libr:3. c:10.* vel qvod in comitiis aliisqve hominum congregationib⁹ laborantes interdum infestarentur, vel potius, qvòd comitia, in qvibus aliqvis Epilepticus ità cecidisset, dirimerentur; qvod suô etiam suffragiô confirmat *Q: Serenus Sammonicus* hîs versiculîs:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Qvod fieri nobis suffragia justa recuset;
Sœpe etenim membris acrî langvore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit:

ab aliis *Lunaris* appellatur, qvod vel in novi-lunio vel pleni-lunio nati soleant eô morbô sæpi⁹ corripi: vel qvod à lunæ phasibus ac influxu maximè dependere credatur: item *Sonticus* dicitur ob noxæ gravitatem, qvæ justam absentiæ excusationem in judiciis afferebat, teste *Pliniô libr. 36. cap: 9. Gelliô libr. 20. cap. 1.* Nonnunquam *Sputatus* insignitur, qvòd insputare apud priscos saluti esset Epilepticis. *Paracelsus paramir. libr. 1 de orig. morb. ex tribus primis substant: cap. 6.* morbum vocat à remedio vitriolatum, viridellum, eò qvòd hæc species caduci à vitriolo præsentissimum nanciscatur auxilium. Nobis *Germanis* audit, die fallende Sucht/ Fraß/ schwere Noht/ schwer Gebrechen/ schwere oder böse Kranckheit/ der Wehetag/ die Gichter/ das Ubel/ das Elend apud Saxones, *a B. Valentino*, die stürtzende Seuche.

§. 2. Huc referri meretur, qvod *Willisius* refert de qvodam Theologo, qvi Dæmoniacos in Novo Testamento habitos Epilepticos fuisse conjectat, vid: ejus *Pathol: cerebr. cap. 2.* hinc forsam etiam à nonnullis Dæmoniacus morbus vocatur, vid. Illustrem *Thom: Bartholinū.* &c. Alia

qvidem plura Epilepsiæ nomina coacervare possem, sed ut breviter hic agam, definitionem ipsam aggrediar.

§. 3. Data superius descriptione, qvæ circa nomina recensenda occurrit, proximum est, ut ad ipsius rei declarationem nos conferamus, ità verò definitur. Epilepsia est motus convulsivus, plus minus repentinus, in qvo membra corporis variè trahuntur, vibrantur & inordinatè agitantur, cum sensuum exercitio qvocunq; ut plurimum abolito durante paroxysmô, post aliqvot dies, imò menses, vel annos interdum recurrens, teste qvotidianâ experientiâ.

§. 4 Genus seu ratio formalis Epilepsiæ, in qvo consistat, non unanimis est Autorum sententia, qvia non solùm morbus est complicatus, sed etiam plures occurrunt actiones læsæ, tantâ magnitudine & vehementiâ, ut qvænam præ altera magìs attendenda sit, non adeò liqvidum existat. Potissimùm tamen duæ heic præ reliqvis sunt præcipuæ: functionum scilicet principum, sensuumqve tam internorum, qvàm externorum læsio, cum totius corporis motu convulsivo per vices affligente.

§. 5. Cum itaqve *Galenus libr. 3 de loc. affect. cap. 7.* morbum comitialem scribat esse convulsionem omnium corporis partium non perpetuam, ut in convulsione contingit, sed interpolatam, pleriqve hunc ducem tam Veteres, qvam Neoterici seqvuntur, & epilepsiam per convulsionem rectè definiunt. Confirmatur assertum inde, qvod illa in omni Epilepsia adsit, sive gradus ejusdem sit mitior, sive fortior: qvalia exempla, præter alios occurrunt apud *Mercurialem Tom. 4. consult. 45. Hol-*

ler:

ler: de morb. intern. cap. 16. in schol. Marcell: Donat: libr. 2. cap. 4. &c.

§. 6. Si ulteriûs inqviramus, qvænam pars corporis in morbo hoc primariò afficiatur, videmus, Auctores diversas abire heic in sententias: qvorum nonnulli asserunt esse cerebri meditullium; alii meninges cerebrum investientes esse primarium Epilepsiæ subjectum atq; sedem; nam ubi spirituum animalium fons & animæ tam rationalis qvàm sensitivæ domicilium communiter habetur, ibi principes facultates præcipuè læduntur, reliqvis notabilem noxam facilè hinc contrahentibûs.

§. 7. Nonnulli statuunt, imprimis affici processus cerebri ac Cerebelli, atq: his superstratas meninges à materia tali morbifica vellicari, unde spasmi & convulsiones immanes oriuntur: deinde à meningibus istis sic contractis & vellicatis unà cerebrum subitò convulsum valdè comprimi, simulq; nervorum caudices, qvos utraqve meninx comitatur, in consensum simul trahi, & per conseqvens sic motûs convulsivos pati, audacter asserunt.

§. 8. Multò aliam, imò receptæ contrariam de subjecto Epilepsiæ opinionem fovet *Qvercetanus in tetrad. de affect: capitis, cap. 8.* in qvibusdam Epilepsiis non cerebrum, sed cor primariò affici, contendens. Verùm, qvibus opinionem suam confirmare conatur, rationes non sunt magni momenti: qvamvìs enim in qvibusdam Epilepsiis cordis actiones simul lædantur, non tamen id semper fit, vel ordinariè.

§. 9. Hinc, licèt parùm intersit, utrum priorem vel posteriorem amplectamur sententiam, hoc tamen certum est, in perfecta & vehementi Epilepsia principatum

deberi læsioni functionum animalium principum tum & sensus, ipsam verò convulsivam contractionem, qvæ per vices & paroxysmos succedit ab affectibus qvoq; interdum induci posse non diffitemur.

§. 10. Interim, qvod formalis morbi ratio præcipuè in principum functionum læsione fundetur & consistat, planum & perspicuum est ex verbis ipsius *Hippocratis libr: de flatibus cap. 22. Eô enim, qvô corripiuntur, à morbo, tempore, neque sentiunt qvicqvam; neqve audiunt, qvæ dicuntùr, neq; vident, qvæ fiunt, neq; ullos alios dolores sentiunt.* Hoc iîsdem penè verbîs repetit & confirmat *Galenus loco citatô & Trallianus libr. I. Cap. 15.* neq; aliud ipsa infallibilis αὐ]οψία svadet.

§. 11. Uti Apoplexia à qvibusdam habetur Paralysis universalis; sic parî modô Epilepsia convulsio sive motus spasmodicus universalis dici potest; nam uti in omni convulsione & spasmo partes nerveæ ac tendinosæ contrahuntur, ac tenduntur nonnunqvam satìs dolorificè; sic qvoq; in Epilepsia contractio partium spasmodica nervosarum & musculosarum universalis est per totum ferè corpus.

§. 12. Cpntractio autem hæc fit à concitatiori, acriori & inæqvali influxu spirituum animalium in spinalem medullam & nervos, obstructîs enim tubulis cerebri, per qvos spiritûs solebant fluere, necesse est, ut majori impetu tunc spiritûs fluant per cæteros apertos tubulos & canales, & qvoniam inordinatus planè ac tumultuarius talis Spirituum est motus, ac extra æqvilibrium positus, tunc animæ & mentis Imperio non auscultat ampliùs, qvare sensus tam in-qvàm ex-terni cessant. Unde

ali-

aliqvi etiam ſpasmum & Epilepſiam dividunt in externam, qvando membra externa, bracchia, oculi, pedes &c: afficiuntur; Et internam, qvando viſcera interna, nerveo membranoſa afficiuntur, uti fit in colicis convulſivis, nephriticis, hyſtericis, &c. paſſionibus.

§. 13. Imprimis autem in Epilepſia, qvæ motus eſt convulſivus in qvo membra corporis variè contrahuntur, & agitantur, ſenſuum exercitio ut plurimùm abolito, ſub ſua latitudine ſpecies tres ſeu gradus communiter à Pathologicis ſcriptoribus asſignantur: gradus ejus primus pertinet propriè ad vertiginem caducam, & abuſivè Epilepſiæ tribuitur, qvando nempe ægri ſubitò concidunt in terram, qvaſi ſomno ſepulti, ſed ſine ſpasmo aut convulſione. Secundus gradus eſt, qvando variis motibus corpus agitatur; v. gr. Saltando, ridendo, pectus percutiendo, ridicula narrando, &c. ſenſibus autem aut integris, aut in delirium abreptis. Tertius gradus eſt ex prioribus conflatus, ità ut omnis tam ſenſus, qvàm rationis uſus pereat, ſimulq; variis motibus corpus agitetur, dentibus ſtridunt, bracchia jactitant, pollices arctè in manu claudunt, pedibus tremunt, corpus inſigniter attollunt, incurvant. ſpuma per os rejicitur, lingva morſu læditur, &c. Qvibus omnibus ſucceſſivè remittentibus æger tanqvam ſomnô oppreſſus jacet, & ad ſe rediens anteactorum nil omnino ſcit: Saltem de perturbatione capitis, & omnium artuum gravi laſſitudine conqveritur. Primus gradus eſt vulgatiſſimus; Secundus rariſſimus. Tertius ægros qvaſi pro obſeſſis à Dæmone repræſentat, niſi Medici ſcientia innocentiam ægri defendat.

§. 14

§. 14. Ejusmodi caſus mihi ante annos circiter duos, in Silesia tum temporis degenti, ſe conſpiciendum exhibuit, ut adſtantes certè pro obſeſſo haberent, nam gravia ſymptomata aderant, corpus enim mirum in modum elevabatur, mox pedes capiti appropinqvabant, mox incurvatis manibus & bracchiis jacebat, variæqve aliæ graviores geſticulationes accedebant, inter horæ autem ſpatium qvando paroxysmus mitigatus parùm remiſit, nihil ſcivit eorum, qvæ antè ab ipſo erant facta, ſaltem de perturbatione mentis qverebatur, hinc petiit, ut darent ipſi aliqvid ad comedendum. Accedens Medicus falſam opinionem adſtantium refutavit, demonſtrando illum non eſſe obſeſſum, ut vulgò credebatur; ceſſavit qvidem per aliqvot tempus hic paroxysmus certô tempore autem ſe iterum videndum præbuit, & qvamvis Medici propinarent optima antepileptica & ſpecifica, tamen non curatus, ſed ſaltem mitigatus fuit affectus. Patet igitur hinc morbum ipſum in tertio gradu fuiſſe, qvi vix ac nè vix qvidem curationem aliqvam admitteret.

§. 15. Cùm autem impoſſibile ſit, feliciter morbum aliqvem curari aut præcaveri poſſe, niſi prius cauſa, à qva immediatè dependet, accuratè ſit perſpecta & explorata: eapropter & noſtrarum omnino partium eſſe puto, ordoq; poſtulat, ut adindagandas cauſas, qvantum qvidem fieri poteſt, nunc inqviram pauliſper.

§. 16. Cauſa igitur immediata hujus mali erit impetuoſa, rapida & maximè violenta ſpirituum animalium exploſio, diverſimodè ac inordinatè membra concutiens & agitans motus, in ſpasmis qvidem continu-

us,

us, at in Epilepsia interruptus, inordinatus ac perturbatus.

§. 17. Inter causas mediatas propinqviores meritò refertur irritatio præcipuè generis nervosi, qvippe spiritibus animalibus cerebri incolis impetuosiùs motis, brevi post reliqvæ partes totius corporis tam internæ, qvàm externæ, in consensum trahuntur, atqve diro sic malo, Epilepsia, corripiuntur. Id ut meliùs exprimeret *Galenus libr. 3. de loc. effect. cap.* 7. declarat rem exemplo ventriculi, qvando à re molesta & acri stimulatus, singultu tum afficitur: ità ex irritatione stomachi à medicamento antimoniali vel catharctico fortiori fit vomitus: ex irritatione cordis fit hujus palpitatio, unde etiam *ab Avicenna* ejusmodi irritationes, stimulationes, & rei molestæ expulsiones, parva Epilepsia vocantur.

§. 18. Causas inter secundas mediatas recenseri potest, qvicqvid præter naturam nervos irritare, & acrimonia sua atq; peculiari qvalitate nervoso generi infestum est, sive in cerebro ipso, sive in alia corporis parte hæreat, sive ab extra cerebro communicetur. Talem malignam qvasi auram, cerebroqve adversam, suppeditare possunt omnis generis humores corrupti, sangvinis vel seri stagnationes, tum sanies, in qvacunqve corporis parte hæreat: v. gr: in ventriculo saburræ acidæ, & bilis porraceæ seu æruginosæ coacervatio: in intestinis progenies verminosa; in utero secundinarum à partu remora, seu sangvinis menstrui suppressio atqve retentio diuturnior: item qvando infans nutritur in utero impuro sangvine, & jam in lucem editus lacte corrupto aut acessente, teste, *Galeno libr. 3. de aliment: facult. cap.* 14. *&* 15: Huc facit etiam dentitionis tempus secundum, *Hippocrat: libr. de dentitione.* item abscessus in cerebro, cranium cariosum: corrupta à sanie vel à festucis læsa dura Meninx, ut & apostemata varia atqve similia ulcera maligna.

§. 19. Ad causarum remotiorum procatarcticarum classem pertinent ea qvæ materiam morbificam commovere, & laten-

tentem illam διάθεσιν in actum deducere valent, ut ſunt: mora diuturnior ſub radiis ſolaribus, vel lunaribus, ut & in balneo calidiore, vide *Hippocr. libr. 6: cap.3. de tuenda ſanitate*: ventorum vehementia ſeu inclementia, imprimis verò auſtralium ſeu meridionalium; huic malo favet tunc & vehemens vociferatio, ingens atqve terribilis cœli tonantis fragor, tormentorum bellicorum propius audita exploſio, ſimiliumq; ex improviſo perceptarum rerum horribilis ſonitus, adhæc Dæmonis ludibria, veneficia atq; incantationes, de qvibus *Hippocr: in libr. de ſacro morbo.* Porro crapula ſeu nimia vini generoſioris aliorumqve inebriantium potulentorum ingurgitatio: *vid: ejusd. ſect. 5. Aph. 5.* medicamenta purgantia fortiora, inedia, ut & immoderatus Veneris uſus, uti legere eſt apud *Aretæum lib. 1. de curat: morb: chronic: cap:4.* ſubita item animi conſternatio, exercitatio immoderata, vehemens terror, ira gravis ſeu excandeſcentia, & plura alia animi pathemata, qvæ huic malo fomitem præbere, & ad paroxymos excitandos ſymbolum ſuum conferre poſſunt.

§. 20. Differentias Epilepſiæ qvod attinet, earum vulgò plures ab Auctoribus recenſentur: præcipua autem, & qvæ ad curationem plurimum facit, eſt, qvæ ſumitur à loco, in qvo materia illa acris morbifica, ceu hujus affectus cauſa potiſſimùm generatur: unde alia fit per ἰδιοπάθειαν, diciturq; eſſentialis, cerebri vitio proprio, aut etiam hæreditariò genita, qvando ipſa diſpoſitio Epileptica in ipſo cerebro vel ſyſtemate nervoſo hæret, cujus plura obſervantur exempla, in hac enim nulla præcedunt paroxysmi imminentis ſigna, ſolùm de vertigine & capitis gravitāte qveruntur ægri cum torpore & depravatione qvadam internarum animalium functionum, interdum qvoq; ſeqvitur fatuitas, & cumprimis Lunæ phaſibus auſcultare ſolet; vel etiam ex lympha vitioſa, & acri in cerebri ventriculis ſtagnante, membranasq; & nervos vellicante infertur ſæpe epilepſia, teſte *Schneidero de catharris l. 2: p. 103.*

Sym-

Symptomatica autem fit in gravioribus doloribus, v. gr. dentitione difficili, dolore calculi, cardialgia, lumbricis ventriculo ac intestinis tenuibus inclusis, vel etiam post cerebrum vulneratum. & non ritè sanatum, propter fermentum nempe acre, ibi relictum, item post casum ab alto, ubi sangvis sub cranio cum tempore putrescere & corrumpi incipit, Epilepsia freqventer oritur: item ab ebullitione nimia sangvinis, uti in variolis, frebribus malignis &c. Hæc facilius tollitur, sublata nimirum causa principali: Si enim dolor vel ebullitio nimia sangvinis sublata fuerit, tollitur & Epilepsia. Sic epilepsia qvando paroxysmus paroxysmum inseqvitur, maximè periculosa est, non autem si periodicè & per longa intervalla recurrit; qvod sæpissimè accidit, maxime circa Lunæ qvadras, in novi-vel plenilunio potissimum.

§. 21. Porro Epilepsia est vel gravis, vel levis. In graviori æger in terram prosternitur, bracchia, manûs & pedes concutiuntur & contorqventur, abdomen attollitur, os & lingva constringitur, oculi rotantur, contractio adest digitorum cum retractione pollicis; spuma adest antte os, & sensuum omnium Ecclipsis, & paroxysmus longius durat; qvando ad se redeunt, ignari sunt omninm cum mentis stupore. In leviori autem, sentiunt ipsum paroxysmum accedentem instar auræ frigidæ per dorsum ab extremis partibns tendentem suprà, & sic sæpe humi cadunt vertiginosi; spasmus adest & angustiæ præcordiorum; deinde etiam nihil sentiunt, nonnunqvam recordantur omnium, qvæ in paroxysmo fiunt, adsunt borborygmi & flatus in abdomine, corporis & membrorum gravitas, & paroxysmus tam longè non durat, & spontè suscitantur: jacent tamen nonnunqvam in paroxysmo sine omni sensu ac motu; talem Epilepsiam sæpius observavi, & magis per consensum fuit producta, hinc & facilius graviori curarî potest, gravior autem difficiliùs, maximè in illis, qvi sunt supra pubertatis annos, & excedunt 20 vel 30. annum; si malum diu duraverit, memoria aboletur, & stupor mentis advenit; nonnunqvam observata fuit in epilepsia tanta commotio cerebri, ut sangvis ex ipso naso stillaverit,

§. 22. Alia porro eſt inordinata, alia periodica, illa eſt, qvæ per intervalla & periodos non certas recurrit, & ſemel exſtirpata non facilè redit; hæc, qvæ certum tempus obſervat; cujusmodi annuam & periodicam annotatam vide *in Ephemerid: Cur: German: Anno XI. obſ. 96. p 169. ut & celeberr. Th: Bartholinum in actis Hafn: pag 150. ſeqv:*

§. 23. Diſtingvenda porro Epilepſia eſt in infantilem, & Juvenilem. Infantes, qvorum inteſtina materia viſcida & lacte corrupto non adeò ſunt repleta, faciliùs curantur, maximè ſi ſit ſympathica; ſœpisſimè tamen jugulat Infantes, inprimis ſi reſpiratio difficilis ſimul ſit conjuncta. Si à lacte tali corrupto Epilepſia introducta ſit, & infantibus alvus non benè reſpondeat, optimi tunc habentur præter Clyſteres emollientes & carminativos ſyrupi laxantes & aperientes; tali in caſu præſentisſimum arcanum eſt Sapo venetus in aqva aliqva carminativa parva qvantitate ſolutus & propinatus, mire enim emollit alvum.

§. 24, Ratione cauſarum alia eſt inveterata, alia congenita & hæreditaria, per generationem ſc: à Parentibus in liberos propagata, qvæ vel nunqvam vel rariſſimè curatur: alia recens, & poſt ortum acqviſita, & qvæ ab humoribus corruptis varii generis producitur; alia rurſus ab externis originem ducit, ut in vulneribus capitis & variis contuſionibus gravioribus.

§. 25. Solet Paroxysmus talis certis temporibus qvandoq; utpote diebus, ſeptimanis, annîs, poſtliminiô redire, Ratio eſt, qvod tanto temporis ſpatiô opus ſit, anteqvam materia peccans urſus in actum deduci poſſit, ut vellicando ſic nervos, ferale hoc malum iterum excludat.

§. 26. Cognitîs & exploratis jam morbi cauſis ac differentiis, progredimur nunc ad ſigna diagnoſtica, qvæ ad methodum curativam viam nobis oſtendunt. Sunt autem Epilepſiæ imminentis ſigna, extremorum frigus, viſus hebetudo & obſcuratio, in qva ſine evidenti cauſa oculi caligant, iisque ſplendores ac ſcintillæ qvaſi obſervantur, nimirum agitatis præ-

ter naturam animalibus ſpiritibûs; *conf. doctiſſ: Barthol: Cent. 3. hiſt. 45.* Adeſt ſonus interdum & tinnitus aurium, pallor faciei, nervorum trepidatio, tremor & membrorum omnium incerta & inordinata concuſſio & agitatio; Lingvæ inordinatus & cespitans motus, memoriæ labefactatio & mentis conturbatio, convulſio incipiens in collo aut dorſo; æger præterea triſtis eſt, & ut plurimùm ſentit capitis gravitatem, laſſitudinem ac vertiginem: ubi jamjam adeſt initium acceſſionis fit veluti ſternutatio ac oſcitatio freqvens cum incubo ac tuſſi, præcurſoribus hinc dictis epilepſiæ Doctiſſ: *Petro Foreſtô Libr. 10, obſ. 53.* quam totius corporis ſubita concusſio & conqvaſſatio ſeqvitur.

§. 27. Præſentis verò paroxysmi Epileptici ſigna per ſe ſatìs ſunt manifeſta, & qvotidie triſte ſpectaculum obviis exhibent; dum ſubitò ſic prehenſi cadunt in terram, vociferantur interdum & clamant, ſpuma ore exit, digiti contorqventur, præcipuè pollice ad volam contracto, ſtridunt dentibûs, ac variis motibus capitis, dorſi, bracchiorum & pedum ſpaſmodicis terram vel ſtrata pulſant, interdum tamen nullum edunt clamorem ob ſpirituum interceptionem. Hæc autem in vehementi Epileaſia contingunt, remiſſiora verò ſymptomata mitiori in gradu ſpectanda occurrunt, ſicuti ex obſervationibus Practicorum qvotidianis ſatìs eſt notum.

§. 28. Cognoſcitur porro ex borborygmis crebrioribus in abdomine, & ſubitanea hujus contractione, ſubinde & umbilici interiora verſus retractione; qvibusdam ſupervenit reſpiratio difficilis, & interdum metus ſuffocationis, qvaſi laqveus tracheæ injiceretur. ſæpe ſeminis, fecum alvinarum ac urinæ involuntaria fit effuſio, nunc ſtertunt, nunc vociferantur, nunc ſuppreſſa eſt vox, qvalis ſtrangulatorum eſſe ſolet: ſunt, qvi lingvam exſerunt, inſtar canis ſitientis, aut acti in rabiem; dentes nonnunqvam inter ſe colliduntur, clauduntur que adeò firmiter, ut qvaſi diffringi eos putares, nec qvicqvam ori ingeri qveat.

§. 29. Proin qvi curationem rectè inſtituere intendit, is

probè gnarus ſit, qvo in loco fomes mali præſertim hæreat, an ſcilicet cerebrum nervorumqve origo afficiatur per ſe & primariò, an vtrò per conſenſum aliæ compatiantur partes, huicqve malo epileptico anſam præbeant.

§. 30. Si cauſa vel ſedes Epilepſiæ primaria inſit cerebro, vel generi nervoſo, plerumq; id arguunt ingens & ferè continuus capitis dolor aut gravitas; ſenſuum & memoriæ tarditas, pallor faciei, auditus difficultas, ſonitus ac tinnitus aurium, ſenſuum torpor, vertigo tenebricoſa &c.

§. 31. Si ex uteri conſenſu originem ſuam trahat, ſigna adſunt talía: nimirum menſtruorum ſuppreſſio, ſecundinarum aut fœtus in utero mortui inconſveta retentio, doloris circa uteri regionem perceptio, ſuffocatio uteri, abdominis crebra à flatibus diſtenſio, difficilis respiratio, & cordis palpitatio.

§. 32. Si malum oriatur à ventriculo affecto: plerumq; præcedunt circa præcordia dolor ſummus, diſtentio & morſus ventriculi, inprimis orificii ſiniſtri ejus, qvod maximo ſenſu pollet, multisq; nervîs inſtructum eſt, difficilis inediæ tolerantia, Anorexia, ructus poſt cibum acidi &c. ſi vermes in inteſtinis ſtabulantes in cauſa, apparent hæc ſigna: ægri nempe multum ſitiunt, & ſæpius alimenta appetunt, pruritum narium & morſum in inteſtinis ſentiunt, in ſomno dentibus ſtridunt, tuſſis ſicca eos vexat crebriùs, & per alvum tum vivos, tum mortuos ſubinde lumbricos excludunt, unde totum corpus tandem tabeſcit & marceſcit.

§. 33. Qvod ſpectat ad eventum ſalutis ac mortis terribili hoc in malo, qvidq; de ſalute ægri ſperare liceat, dubii plena res eſt, variatqve prædictio ecundùm morbi differentias ac gradus: omnium enim conſenſu pro morbo graviſſimo & admodum periculoſo habetur, ſive per ἰδιοπάθειαν, ſive per συμπάθειαν afficiatur cerebrum, pars corporis noſtri nobiliſſima: qvæ qvidem curandi difficultas in eo conſiſtit, qvod cerebri medullaris ac fibroſa pars non tantùm ab ipſa cauſa morbifica, ſed & à ſingulis, recurrentibus paroxysmis plurimùm debilitetur

ejus,

ejusqve pori adeò laxentur, ut deinceps materiæ cujusqve heterogeneæ incursibus facillimè pateant, adeoq; ipsa διάθεσις morbosa repetitis paroxysmis sic confirmata radices altiores agat, ac dein ægrius tollatur.

§. 34. Aliàs fœdissimus est affectus, ut etiam, *Aretæo* teste, si licitum esset mutuò cernere, qvæ patiuntur ægri, vivere detrectarent. Interea Epilepsia, qvæ fit ex consensu, faciliùs curari solet, qvam illa per essentiam; in febribus malignis mortem, teste *Coo in aphor.* portendit. Epilepsia hæriditaria, & qvæ post annum 25 evenire solet, rarissimè curatur: Juniores ætatis, loci & victus mutatio ab epilepsia interdum liberat; in pueris qvidem pubertatis anni malum sœpe variant, sicut in puellis superveniens menstruatio: In paroxysmo, si ad usum sternutatorium non excitetur æger, indicium est naturam succumbere. Mulier gravida Epilepsia correpta communiter aut abortus aut vitæ periculum subit; licèt hoc non semper obtineat, teste *Rhodiô cent: 1. obs. 60. & Schenkiô in observationibus suis,* ubi non omnes epilepticas utero gerentes abortum statim passas asserit Porro qvæ caput sæpius & graviter affligit Epilepsia, hebetat tandem sensus, & rationis usum imminuit: hinc fortior juniori ætati obtingens paralyticam hujus vel illius membri impotentiam post se qvandoq; relinqvit, in aliis verò hemiplegiam aut planè apoplexiam, id qvod priorî pejus est malo, aut terminatur in stupiditatem, ac melancholiam ferè incurabilem. Si inveteratus aut confirmatus sit morbus, incurabilis itidem habetur; faciliorem autem contra pollicetur curam. si recens sit malum, & à leviori causa introductum, ut suppressione mensium, hæmorrhoidum, dentium ac variolarum erumpendi conatu, sanatisqve subitò ulceribus manantibus in pueris. Habitualis epilepsia interdum in Hecticam lethalem degenerat. Epilepsia ex uteri vitio contracta meliùs obedit remediis, malo hysterico medentibus: Solvitur aliqvando Epilesia, septimo mense, septimo vel 14. annô, vel primo accedente puerperio.

§. 35. Hæc

§. 35. Hæc de Epilepsiæ Diagnosi & prognosi dicta jam sufficiant, restat, ut ad curationem ipsam accedamus: qvid enim prodest affectum probè investigasse, nisi & sciamus è corpore eundem eliminare ac profligare? cui scopo satisfaciunt omnia illa à Practicis laudata remedia, qvæ vel præsentem tollere, vel imminentem avertere valent.

§. 36. Medendi verò methodus duplex communiter esse solet, monstratq; illa auxilia, qvæ vel in ipso paroxysmo, vel extra eundem conducunt, & facienda monent; in hoc posteriori casu respiciendum est ad primas vias, an ibi sentina qvædam expurganda lateat, vel non, in qvo casu primò laudantur Vomitoria, uti vitriolum album, Tartarus & Syrupus emeticus, tum & purgantia atqve laxantia cholagoga & melanagoga veteribus dicta, ex Rhabarbaro, Helleboro nigro, jalappâ, scammoneo, aloë &c. parata. Secundò, si abundantia sangvinis sit in culpa, imminuunt venæ sectiones ac scarificationes. Tertiò. Lymphæ vitia corrigunt antispastica balsamica, temperata, uti sunt Essent: succin: Pimpinell: alb: alexipharm: Stahlii. Tinctura antimonii tartarisata, tartari, liqvor: C.C. succinat: Decocta lignorum diluentia sangvinem, ejusq; acrimoniam attemperantia. 4to orgasmum sangvinis sedant Nitrata, præcipitantia & absorbentia atqve cinnabarina. 5to inter specifica anti spasmodica communiter recensentur lumbr: terrestre. legitimè præparati, unic: ver. C. C. philosoph. præparat. Tali leporis, ungula alces, cranium humanum, ejusq; usnea ex homine, violenta morte perempto desumta, spiritus volatiles urinosi omnes; uti C. C. salis ammoniaci. sal: volat: oleos: Sylv. Spirit: Polychr: ut & sangvinis humani vel cervini, ac similia, item radix & semen Pæoniæ, viscus qvernus & corylinus, carbo sub artemisia effossa, Spiritus vitriol: ant-epilepticus Qvercetani, ol: animal: Dippelii, tum & castoreata ac succinata omnia &c.

§. 37. Qvoad ipsam curationem differt illa pro diversitate tum graduum, tum subjecti, tum causæ, dum alia est idio

pathi-

pathica sive essentialis & universalis, qvæ in cerebro residet, hocqve principaliter affectum est, alia symptomatica, sive particularis, ubi per spasmum graviorem corporis cerebrum cum ipsis nervis simul trahitur in consensum, & in hystericis & hypochondriacis aliisq; locum habet: sic qvoq; cura adornanda est. In essentiali sive idiopathica ante omnia eò respiciendum est, ut tubuli cerebri & nervorum reserentur, & spiritibus animalibus æqvalis & ordinatus per omnes tubulos motus concilietur. hinc in omni paroxysmo epileptico convenit, partes in suo situ detinere, nè adeò contrahantur pollices, & digiti, tum Spiritum volat. excitantem naribus applicare. v. gr. Rec. Spirit. apoplect. drachm. duas, Spirit. salis am̄oniaci drachm unam, ol. Rut: ol: Suciaa gt. vi. M. F. Spir. Qvi Spiritus in omni paroxysmo epilepticô naribus applicari, &, si opus, labiis affricari potest, sic sæpe solent statim redire ægri: deinde os apertum servari debet, & mixtura talis, qvæ partim Spirituum effrenem motum compescit, partim etiam simul occlusos poros & tubulos aperit exhibenda. v. gr: Rec. aqv. Cerasor. nigr: è tenellis C: C: aqv; fl. lilior: convall: s. vinô ãa unc. I. Spiritus salis ammoniac. drach: I. Syrup. papav: rhœad. drach. II. Essent. Croci drach: j. M. F. potio. Tertiò inungi potest nucha cum spinali medulla talî ungventô. Rec. Axiung: human: ol: nucist. express: ãa drach: ij. pingv. Castor: drach: j. aqv. Anhalt. unc: I. Spirit: salis am̄oniac: drach: ij. ol: rut: vel succ: scrup: I. Extract. Castor. Scrup. sem. M. F. ungvent: hôc linimentô sæpissimè inungatur non solum nucha & spinalis medulla, sed & scrobiculus cordis & abdomini applicetur cum panno linteo calido. Finitô ejusmodi Paroxysmô essentialî, optimè exhiberi, potest tale primò Emeticum: Rec. Mercurii vit: opt: præparat: gr. iij. aur. fulminant. Cinnabar: nativ ãa gr. VI M. F. pulvis. hic pulvis instar arcani à Practico qvodam celeberrimo in Anglia habitus fuit; vel felicissimo cum successu etiam talem mixturam, qvæ simul purgat, possumus adhibere. R. Limatur mart. drach. j. Limatur. Veneris. Scrup. I. Limatur. Lunæ Scrup. ij. hisce affunde Spirit: nitri qv. satis, solve & filtra liqvorem; de qvo pro dosi dari possunt

gtl, XL, unde æger non solum per vomitum, sed etiam per secessum aliqvoties summo cum effectu dejiciet materiam tenacem viscidam. Purgantia etiam hic locum habere possunt exhibita vel sola, vel cum Emeticis dosi refracta. v. gr. Pulv. Gialapp. Scr. I. Mercurii dulcis Cinnab: nativ: āā gr: IV. Sal: succin: gr: VI. Resin: gialapp: gr: iij ol. macis gt. I. M. F. pulv. Potest pro lubitu etiam admisceri tartar: Emet: vel Merc. vit: ad gr: ij, si opus vel etiam Sulphur. antimonii aurat: benè præparati.

§. 38. Liberatis vel expurgatis sic primis viis plerumq; malum vel remittit, vel plane cessat, tam in infantibus, qvàm adultis; durante ipso autem paroxysmô hæc non debent exhiberi, sed extra Paroxysmum & tempore intermissionis semel vel iterum. Purgantia leniora hîc nihil efficiunt, sed talia esse debent, qvæ acres viscidos humores incidendi magnâ vi polent, & simul altius penetrant; qvalia sunt dicta jam. Præterea obstructiones profundiores cerebri tollunt ciñabarina, qvæ non adeò nervis infensa sunt, qvam Mercurialia; debent autem propinari non in minori qvantitate, sed major, idq; repetitis vicibus. Sic in Epilepsia à contusione graviori facta, felicissimo c: successu aliqvoties talis Pulv: exhibitus fuit. R. Cinnabar. nativ. benè præparatæ drach. IV. Succin: ppt: drach. iij ol. succin: svavior: gtl: VI. visci qverni vel coryli drach iß M. F. Pulv: divide in dos. XII. de his omni die assumat æger doses tres in aqva appropriata. R: Aq. Cerasor. nigr. lilior: Convall. fl. Tiliæ āā unc ij. Syrup. de pæon. ℥ IV. M. hic pulvis per aliqvot septimanas, ad minimum duas, continuari debet, & videbis mirabilem effectum. vel etiam locô hujus Pulveris sumi potest R. Tinct. lunæ vel veneris c. Spir. Salis añon: Sal: vol: C. C. bis de die exspectando sudorem parata, præcipuè si suspicio subsit vermium. Præter dicta parti primariò affectæ, nimirum capiti, applcari debet emplastrum cephalic: qvod mirabile est in domando malo Epileptico R. Gum. Tacamahac: Mastich: Elem: & animæ, Succin: ladan: añoniac. āā ℥ji. ol: nucist. express. drach. IV. Balsam. peruvian. drach, iij herbæ mari veri drach ij. Ceræ q. s. M. F. l. a. Empl: qvod applicetur raso capiti. Sublatis sic obstructionibus in nervis, & roboratô capite, talia

porro

porro in usum vocanda sunt, qvæ ferum Spirituum animalium motnm temperant, fluidumq; nerveum promovent & in debito motu conservant, uti sunt. R. Pulv. lumbricor. terrestr: secund: hum. ppt. vel Embryi leporis āa ʒj. visc: qvercini drach. semis carbon: Tiliæ. cran: human. ungul. alcis. corall: rubr: āa ʒiß Cinabar. nativ. ʒjii. Extr. visci qverc. scr. I. Castor: gr: VI. ol. Lavend. vel roris marin: gtt. VI. M. F. Pulv. divid. in doses XXVI. de qvo pulvere æger capiat qvovis die dos: tres cum aq. lilior. Convall. vel antea descripta, sic auxiliante Deo Epilepsia certissimè evanesect.

§. 39. In illis, qvi sangvine crassiori abundant, potest habere locum infusum herb. Thee, vel ejus loco herbæ roris marini, salviæ, Lavend. anthos. Malum si cessaverit, ad præservationem ulteriorem qvolibet mense vel 6 hebdomade talis evacuatio conducet. R. Extr. Panchymag: Croll. Lig. aloës, Pœön. alöes rosat. āa ß. Extract. Trochisc. Alhand. Scr. Sem. mercurii dulcis Scrup. I. ol. fusc gtt. x. ol. Lavend. gtt. IV. M. F. l. a. Pilul: minores gr. I. magnitudine dosis erit ad summum scrup. I. dein spirit. talis freqventer erit assumendus. R. Ess. Castor. Salvolat. oleos. Sylv. āa ʒij. ol. Cubebar. & Caryoph. āa gttiij. Ess: succ. Valerian. āa ʒj. M. dosis gtt. XL. bis de die post prandium, vel cœnam horis tribus, nec venæ sectiones & scarificationes omittendæ sunt.

§. 40. Epilepsiæ Symptomaticæ, in morbo principaliori sublatô, curatio est qværenda ac instituenda; ità in Epilepsia, qvæ à dentitione difficili vel eruptione variolarum aut acriorum humorum ebullitione aut turbatione originem habet, talî mixturâ succurrere possum9, v. gr. R: aq. fl. Pæoniæ, Til: lilior: Convall: āa unc ij Sp. Nitri dulcis vel vitriol. volat. ʒj. Syr. Papaveris Rhœad. ʒiij. M. detur; qvæ mixtura egregiè effervescentiam sangvinis nimiam & humorum præcipitat. Potest etiam, si opus, in gravioribꝰ doloribus addi parum laud. opiat. vel Theriac. cœlest. vel etiam talis pulvis adhiberi in omni epilepsia symptomatica. R. Pulv: Marchion: cephal. Michaël. āa ʒj. succin. Cinab. nat. āa Scrup. I. M. F. Pulv. detur in aq. fl. Tiliæ cum Sp. C.C. Succin. parùm acuata, qvæ medicamenta etiam Epilepsiæ symptomaticæ in hypochondriaco & hysterico malo medelam afferunt.

§.41. In Spasmodica intestinorum ac ventriculi, maximè qvæ in primis se viis exserit, optimum est, alvum apertam servare convenientibus clysteribus, nempe carminativus & emollientibus: dicitur enim hæc epilepsia colica convulsiva, & alvus ut plurimùm est valdè adstricta, ubi ordinarii clysteres parum efficiunt. Clyster itaq; potest præscribi talis, qvi ex decocto, e-moll: cum appropriatis oleis constare debet. v:gr: R: ol. Lin. chamomill: coct. colocynth. ā̄a unc. Sem. sal: gemæ ʒij, M.F. Clysma & calidè sic hæc olea injiciantur. Externè scrobiculo cordis & abdomini potest applicari ungventum superius memoratum. it. internè propinari Ess. Castor. cum Sp. Sal. am̃oniac. & ess. anod. & Croc. mixta addita pro re nata Camphor. applicari qvoq; potest in ipso paroxysmo Sp. volat. C. C. aut Salis ammoniac. Plerumqve adsunt in hoc morbo flatus & obstructiones in primis viis, qvæ Antimonialibus & Martialibus tollendæ.

§. 42. Abstineat autem æger ab omni im̃odico affectu animi, ira, terrore, venere, crassis, flatnlentis & acribus cibis, leguminibus, itemq; acidis; tum & à nimiis lucubrationib9, & meditationibus profundiorib9 &c. äer sit temperat9, purus, seren9; vitandus frigidus, pluvi9 ac nebulos9, Lunæ radii de cumbenti qvoq; noxii perhibentur, si pèccet äer qvalitate suâ, corrigatur arte, vel locus mutetur: vinô parcissimè utatur ob easdem causas supra allatas: Cerevisia nec lupulata nimis sit, nec lolii admixtione infamis; possunt huic in coctione ejus adjungi radix & semina pœoniæ vel bacc: junip: motus instituatur ante cibum, lenis, & exercitia ipsa corporis modum non excedant, secundum com̃une enim proverbium omne nimium vertitur in vitium: somnus qvoq; sit moderatus, alvus semper aperta servanda, qvæ si in munere suo segnior deprehendatur, arte solicitanda est. Noxiam enim esse alvi adstrictionem hoc in casu experientia ipsa satìs confirmat. Atq; hæc de Epilepsia dicta breviter sufficiant. Tuum erit L. B. singula œqva animi lance librare, & sicubi in dificillimo isthoc morbo cespitaverim, nec tuæ curiositati ubiq; satisfecerim, prono ex affectu prætermissa condonare. Interea Sempiterno Deo sit laus honor, & gloria in secula. AMEN.

Herculeum, PASCHKEN, pellens medicamine morbum,
Hercule clavigerô major habendus eris,
Is Deus eſt, fecitq; viam ſibi vivus ad aſtra.
Te qvoq; laude Deus Phœbꝰ ad aſtra feret.

Hiſce Nobilisſimo & Experientisſimo

Dn. DOCTORANDO

felicisſimos in Medicina progreſſus gratulatur.

ANSG. ANCHERSEN.
Med: Cand.

Præmia virtuti debentur, gloria factis
Gloria nam ſtudio ſtat peramica comes.
Fautor amice, trahit tua ſic induſtria laudē,
Dum frontem lauru cingat Apollo tuam;
Dignus & omnino es, Tyriô qvem murice cingat
Phœbus, nam Medici nomen & omen habes.
Scilicet intrepidus doctorū pulpita ſcandis,
Ingeniiq; tua ſvaviter arte doces,

Fulmi-

Fulmineô qvî homines clades epileptica casu
Sternat, & in spumas oris hiantis agat.
Svaviter arte doces, sibimet promittere qvantum
Hæc hominum miserûm pallida turba qveat.
Sis praxi felix! ægris solatia grata
Fer, Tibi langventes commoda mille ferant!
Addere perge tuis virtutibus, addet honori
Posteritas; surget nescia fama mori.

ità
Summos honores
Nobilissimo Dn. DOCTORANDO
Amico æstimatissimo
Sincerè gratulatur
GEORGIUS RöBEL,
S.S. Theol. Studiosus.

